

rabant.²⁵¹ At contra, in Bosna et Hercegovina tota cura animarum exclusive Franciscanis erat concredita, omnes parochiae eorum conventibus unitae, quod maxime gubernio austriaco displicebat. Propterea, id quod prius a S. Sede impetrare non poterat, nunc mediante nova hierarchia obtinere nitebatur. Secundum gubernii intentionem tunc statim tempore instaurationis hierarchiae in diariis diversi articuli apparuerunt in Franciscanos bosnenses invehendo, eos scilicet non esse pares officio pastoralis, ideoque nullum progressum in nova hierarchia fore, nisi ipsi in monasteria remitterentur;²⁵² vel ipsum quoque eorum jus ad parochias infringere conabantur ponendo cordi novi archiepiscopi, ut id bene apud populum investigaret.²⁵³

Ex parte sua, novus episcopus J. Stadler statim a. 1881, occasione suae commorationis Romae, quaestionem movit de natura paroeciarum in Bosna, quaerebat videlicet a Summo Pontifice: »...ut pro Suprema Sua Auctoritate decernere et declarare dignaretur, quid juris esset in posterum servandum quoad collationem paroeciarum, quae hucusque per praelaudatos Franciscanos Religiosos rectae et administratae fuerunt.«²⁵⁴ S. Pater, uti ex decreto S. Congregationis negotiis ecclesiasticis extraordinariis praepositae patet, consensit solummodo in processum demonstrationis iurium ad parochias ex parte Franciscanorum bosnensium. Edixit videlicet omnes parochias (exceptis iis tantummodo quae

vilegiis vel consuetudinibus viguerint, mutatis nunc circumstantiis, nullum post hac sive jus sive obligationem inducent. *Ibidem*, 104.

²⁵¹ In Anglia aderant diversi ordines: Benedictini, Jesuitae, Franciscani et praesbyteri saeculares inde jam a saeculo XVI; similiter in Hollandia; in Dalmatia et Slavonia juxta Franciscanos erant et presbyteri saeculares.

²⁵² Ita scribebat Vindobonensis »Neue freie Presse«, cfr. Gavranović, o. c. 238.

²⁵³ Ita folium »Katolički list«, et aliud »Sremski Hrvat«, cfr. Gavranović, o. c. 240—246. Ad quas impugnationes Franciscani responsum dederunt se posse autenticis documentis demonstrare, quod ipsi propriis expensis fundos emerint, ecclesias, cappellas et alia aedificia parochialia aedificaverint. *Ibidem*, 245—248.

²⁵⁴ Acta O. M., I (1882), 106.